

semen Caini in arcam Noe: & inde tot homines improbos postea fatos dicunt. Sethi autem uxorem appellant Ὠραϊαν, ex qua bonos omnes ille seuerit, quam potius Ἀζούζαν nominatam scribit Epiphanius. 2 Error, Christum, qui è virgine Maria natus est, non alium fuisse quàm Sethum. 3 Carnis resurrectionem negant, quod dogma impiissimum omnibus Valentinianis commune fuit ex Simonianorum schola sumptum. 4 Angelos cum mulieribus coiisse ad homines gignendos, & primùm duos homines ex iis natos, vnum è terra: alterum è semine cælesti, qui masculo fœmina esset, & velut Androgynus, & ad Dei imaginem solus formatus. Deus autem, vt aiunt, duplicem illam naturam simul coniunctam in se habet, maris scilicet & fœminæ. Hoc caput ex falsa cap. 6. Genes. interpretatione natum est, cuius vestigia etiam in scriptis veterum, adeoque Lactantij institutionibus adhuc manent, & in libris Rabbiorum, qui putant Adamum ita creatum à Deo, vt mas fœminæ in eodem indiuiduo & ὑφίσταμένω sibi latere adhærent.

## CAP. XX.

Archontici cur dicti. Erroris autem eorum caput hîc triplex.



Archontici à principibus appellati, Vniuersitatem, quam Deus condidit, opera esse principum dicunt. Operantur etiam quandam turpitudinem. Resurrectionem carnis negant.

1 April-